

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0481

0479

0485

0475

467

maceria in modum muri vel sepis circumducta, ne quis incaute ambulans in praeceps corruat et ne respicientes ab omni parte deorsum horrescant propter altitudinem et ut securior et liberior fiat ibi deambulatio. In medio petrei pavimenti est una cavatura ad consignationem humani corporis supinum iacentis, nec est multum in petram profunda sed tantum, ut corpus jacens in ea replete cavaturam et aequale pavimento reliquo sit. Haec cavatura non ferro aut aliquo artificum instrumento est facta, sed miraculose impressa. Dum enim angelii de Alexandria corpus virginis ad hunc locum detulissent et super planam et durissimam petram illud collocaarent, mox petra, angelica virtute agente, sacro corpori cessit, sicut cedit cera mollis corpori duro et gravi sibi superposito et corpus premens sibi ipsi loculum proportionatum toti corpori configuravit et in eo ultra trecentos annos ignotum hominibus sub angelorum custodia (49 a) jacuit et quievit, in cuius custodiae signum sunt ab utroque latere cavature aptae ad sedendum, ac si aliquis ibi sedisset; siquidem et angelii corporis custodes ibi dicuntur sedisse, forte in assumptis corporibus, sicut in Scriptura sacra frequenter commemorantur stetisse, ambulasse, volasse, et angelus resurrectionis dominicae nuntius dicitur super lapidem sepulchri sedisse, Matt. XXVIII. et Marci XVI. Quamvis autem angelus in assumto corpore etiam sedere volens non indigeat sella aut sede, sicut nec sessione, locum tamen sessioni aptum juxta corpus sacrum virginis formaverunt, ut se fuisse custodes sacri corporis semper commanentes funeri indicarent. Quomodo autem corpus virginis hic sit inventum et inde in monasterium translatum, patebit folio 4.

Ad loculum ergo virginis nos prostravimus et in ipsum non ex praesumptione vel ex curiositate, sed ex pietate nos posuimus et corpora nostra commensuravimus cavature et ipsam longae staturalae fuisse deprehendimus. Demum dum locum illum sanctum debito vel nobis possibili honore venerati fuissemus, convertimus nos ad alia.

Ende

Anfang